Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0002-4

F. 14. num. 21. 16
1719, 10 b
10
J. 3435

DE

# EXPECTATIVIS

IN

# FEVDA IMPERII,

CONSENSV
ILL. IVRECONSVLTORVM
ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
*D. XIX. MAII A. MDCCXIX.*
H. L. Q. C.
DISPVTABVNT
*PRAESES*
D. IO. IACOBVS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.
ET
*RESPONDENS*
IO. IVLIVS ANCKELMANN,
HAMBVRG.

---

*LIPSIAE,*
TYPIS IMMANVELIS TITII.

KŒN. FRIED. UNIVERS. ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0003-9

# CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

I. *Expectatiua quid?* II. *Quotuplex?* III. *Quomodo differat ab inueſtitura ſimultanea, et pacto confraternitatis?* IV. *An veteribus cognita?*

V. *Exempla expectatiuae in feuda Imperii. 1) Generalis.* VI. *2) Specialis: in ducatum Sueuiae.* VII. *Expectatiuae domus Saxonicae: Henrici illuſtris in Thuringiam.* VIII. *In ducatum Iuliacenſem.* IX. *In ducatum Lauenburgicum.* X. *Lineae Albertinae in principatum Anhaltinum, et partem Hennebergici.* XI. *In comitatum Hanouiae.* XII. *Lineae Erneſtinae in comitatum Iſenburgenſem.* XIII. *Expectatiuae domus Brandenburgicae in Pomeraniam.* XIV. *In ducatum Megapolitanum.* XV. *In feuda ducum Brunſuicenſium et Luneburgenſium, nec non Holſatiae.* XVI. *In comitatum Limburgi.* XVII. *Domus Auſtriacae in ducatum Würtenbergenſem.* XVIII. *Regni Sueciae in Pomeraniam vlteriorem.* XIX. *Domus Megapolitanae in Landgrauiatum Leuchtenbergenſem.*

XX. *Obſeruationes quaedam generales ad ea exempla.*

XXI. *Quod Imperatoris circa expectatiuam concedendam Ius? olim libere conferebat.* XXII. *Quando haec poteſtas limitata fuerit?* XXIII. *Conſenſus Electorum ex quo fundamento et quo ſucceſſu requiri coe-*

 *perit?*

*periit?* XXIV. *Res ea Caroli V. capitulatione accuratius definitur.* XXV. *Expectatiuae mentio prima in capitulatione Ferdinandi II.* XXVI. *Conſenſus Electoralis in expectatiuam neceſſitas, in capitul. Ferdinandi IV. diſertis verbis exprimitur.* XXVII. *Reliqui ſtatus ſuum quoque conſenſum requiri poſtulant. Initio fruſtra.* XXVIII. *In Capitulatione Carolina demum obtinent.* XXIX. *Dicta contrahuntur.* XXX. *Applicantur ad quaeſtionem de validitate expectatiuarum diuerſo tempore datarum.* XXXI. *Sufficit ſi conſenſus Electoralis poſtea accedat.* XXXII. *An conſenſus vaſalli poſſidentis requiratur?* XXXIII. *Reſtringuntur hactenus diſputata ad feuda maioris momenti.*

XXXIV. *Locum non habet expectatiua: 1) Vbi vaſallus de feudo pro lubitu diſponere poteſt.* XXXV. *2) Vbi pacta confraternitatis adſunt.* XXXVI. *3) Vbi alius expectatiuam habet.* XXXVII. *4) Cum agnati innocentes adſunt: et delicto vaſalli feudum aperitur.* XXXVIII. *5) Vbi ſtatus aliquis iure belli alterius prouincias occupauit.*

XXXIX. *An expectatiua ad certum aperturae caſum reſtricta valeat, etiam vbi ex alia cauſa feudum vacauerit?*

XL. *Effectus expectatiuae: 1) Obligat etiam ſucceſſorem Domini.* XLI. *2) Tribuit ius occupandi poſſeſſionem feudi vacantis. An et titulos et inſignia?* XLII. *3) An conſenſus expectantis requiratur: ſi vaſallus poſſidens onerare hypotheca feudum velit?*

XLIII. *Quousque extendi interpretatio expectatiuae caſu exiſtente poſſit?*

§. I.

## §. I.

EXpectatiua, quam alii ſuperinfeudationem appellant, Germanicis dicitur Anwartſchafft, Angefäll-Verſchreibung, Geding, itemque Lehn ohne Gewehr. Eſt vero ius ad feudum obtinendum a Domino ſub conditione aperturae datum. *Expectatiua quid?*

## §. II.

Generalis eſt, cum in genere promittitur feudum, quod primum vacauerit. *Quotuplex?* Eam *Irrlehn* vocari Iure Saxon. Feud. c. IX. §. 3. gloſſator et ZOBELIVS crediderunt: et hic quidem mire ingenioſus eſt in explicanda vocabuli origine: Sed iam SCHILTERVS animaduertit *Errenlehn*, h. e. feudum antiquius eo loco legi debere. 1) Specialis eſt, quae ad determinatum aliquod beneficium reſtringitur. Ratione modi concedendi alia eſt quae per nudas literas, 2) alia quae per actum inueſtiturae ſub conditione 3) confertur. Idque diſcrimen in ipſo inueſtiturae effectu explicando vſum habet. In Imperio praeterea quaedam expectatiuae, pacto inter principes, ab Imperatore confirmato conſtitutae ſunt. Aliae ab Imperatore, inconſulto vaſallo poſſidente tributae.

1) Ad Ius Feud. Al. c. XII. §. VI.
2) HARTM. PISTOR. P. II. q. 30. ROSENTHAL. cap. VI. concl. 6.
3) 1. F. 9. et 27.

§. III.

*Quomodo differat ab Inueſtitura ſimultanea, et pacto confraternitatis?*

Differt expectatiua, quae ſolo promiſſo nititur ab inueſtitura ſimultanea, quod ex ea tantum oritur ius ad rem, atque obligatio et actio perſonalis conditione exiſtente. Ex facta vero inueſtitura de futuro, oritur ius reale, et tranſit ſtatim caſu contingente dominium vtile, ac poteſtas poſſeſſionem feudi apprehendendi. 1) Adeoque talis expectatiua participat de natura inueſtiturae ſimultaneae. Si vero pactum de expectatiua inter vaſallos anteceſſerit, in eo recedit a pacto confraternitatis, quod hoc mutuum ſuccedendi ius vtrique parti, illud alteri tantum tribuit.

1) Conf. EYBEN. Sel. Iur. Feud. c. V. f. et SCHILTER. l. c. §. 1.

§. IV.

*An veteribus cognita expectatiua?*

Antiquis moribus incognitam plane expectatiuam fuiſſe putat SCHILTERVS. 1) Non dubito tamen ex quo in vſu fuerunt feuda, dominos interdum clientibus, quibus bene cuperent, quosue arctius obſtringere ſibi beneficiis vellent, officiorum, praediorumue, ſi quae forte breui vacatura viderentur, ſpem feciſſe. Certe in omnibus conſuetudinum feudalium compilationibus expectatiuae notitiam, vſumque iam deprehendimus. De Longobardis 1. F. 9. et 27. de aliorum Germanorum moribus, ius Feudale Alemannicum c. XII. et Saxonicum c. VII. teſtantur. Quo plures poſtea caſus exſtiterunt, eo accuratius, vt in omni iure ſolet, res definita fuit.

1) l. c. §. XI.

§. V.

*Exempla expectatiuae in feuda Imperii:*

Durauit ex antiquitate in ipſis Imperii feudis expectatiuae ius: quod nunc vnice excutere animus eſt: prouti vel feudis Imperii cum aliis commune eſt, vel

propriis principiis ſuis nititur. Si non reſponderit dignitati argumenti priuata diſquiſitio, modeſtiam tamen in ea nemo deſiderauerit. Ante omnia, vt caſus de quibus diſputabitur, clariores ſint, illuſtria quaedam exempla praemittemus. Neque enim omnia, ciere operae pretium viſum eſt. Suffecitque annotaſſe, quae illuſtrationi inſeruire poſſunt, licet aliae iam impletae ſint: aliae in vanum ceciderint. Generalem expectatiuam accepit quondam in Comitiis Carolus Ludouicus Elector Palatinus, in feudum quodcunque 2000. imperiales annuos ferens. 1) Eiusdemque indolis eſt priuilegium quod Palatino, et Treuirenſi Electori competere aiunt, vt feuda immediata, intra territorium eorum ſita, ſi forte aperiantur, ad ipſos deuoluantur. Sed nullum alium eius rei auctorem, quam BESOLDVM 2) habeo. *I.) Generalis.*

1) Vid Series Rer. ominoſ. Contin. III. §. 38. conf. ITTERVS de Feud. Imp. c. X. §. 6. vbi ſimilis expectatiuae Comitibus Schwartzburgicis conceſſae exemplum annotat.

2) Theſ. pract. voce Reichs-Lehn.

## §. VI.

Specialium antiquiſſima memoria apud Vrsbergenſem occurrit, 1) qui Henricum III. Berchtoldo, Zaeringenſi comiti, ſuccedendi in ducatu Sueuiae ſpem, ſuperſtite adhuc Ottone duce feciſſe, annulumque ſuum ad maiorem fidem faciendam tradidiſſe ſcribit. Magnarum haec contentionum ſeges fuit, cum mortuo Ottone Henrici IV. mater, quae filii nomine rempublicam gerebat, ducatum Ottoni comiti Reinfeldae dediſſet. Nec placari Bertholdus, niſi dato Carinthiae ducatu potuit. *II.) Specialis: in ducatum Sueuiae.*

1) p. 168.

## §. VII.

Sereniſſima Saxonica domus plura nobis memoratu digniſſima exempla ſuppeditat. Fridericus II. Imperator *Expectatiuae domus Saxonicae:*

*Henrici Illuſtris in Thuringiam.* rator an. 1242. Henrico Illuſtri, marchioni Miſniae, in Landgrauiatum Thuringiae expectatiuam dedit, 1) vt nouo titulo ius ſanguinis firmaret, quod in eam prouinciam competere poterat.

1) LVNIG. Reichs-Archiv. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 1. Abſ. p. 177.

## §. VIII.

*In Ducatum Iuliacenſem etc.* Eidem fundamento ius in ducatus Iuliae, Cliuiae et Montium debet. Expectatiua in Iuliam et Montes a Friderico III. Alberto duci, eiusque poſteris, ob inſignia in bello aduerſus Carolum Burgundum merita 1493. data, 1) confirmataque, et ad Erneſtum Fratrem extenſa fuit a Maximiliano an. 1486. et 1495. 2) Quamuis autem mortuo vltimo duce, gener eius Cliuiae dux prouinciam occupaſſet, tandemque et inueſtituram a Carolo V. 1522. impetraſſet, nihil tamen Saxonico iuri derogatum. Agnouit illud ipſe dux 1526. in pactis dotalibus 3) filiae Sibyllae, cum Iohanne Friderico, Electorali tum Principe, quibus illa ſuccedendi ſpes in Cliuiacas quoque ditiones extenditur. Quae pacta et ordines prouinciae probarunt, et Caeſar vna cum fratre Ferdinando 1544. rata habuit. 4) Fauit cauſae Rudolphus II. vltimo duce mortuo, et 1610. domum Saxonicam de ducatibus inueſtiuit, quod et ſucceſſores Augusti fecerunt. 5) Et Elector Brandenburgicus, vna cum Palatino Neoburgico, qui vxorum nomine aſſertas ſibi terras tenebant, Saxonicae domus praetenſionem ita reuerebantur, vt in pactis Iuterbocenſibus 6) in poſſeſſionis communionem recipere eam parati eſſent.

1) LVN. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 2. Abſ. p. 14. 2) ibid. p. 15. 3) ib. p. 31. 4) ib. p. 59. 5) Vid. id. l. c. p. 131. 6) Id. l. c. n. 46. p. 135. ſeq.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0010-8

§. IX.

*In Ducatum Lauenburgicum.*

In ducatum Lauenburgicum Ducibus Saxoniae expectatiuam dedit, eosque inueſtiuit Maximilianus I. in Comitiis Conſtantienſibus 1507. Quae ſemper Electoribus Saxoniae reſeruata et ab Imperatore Leopoldo 1660. et 1687. ſolenniter confirmata fuit: 1) vt licet non acceſſiſſent pacta de ſucceſſione mutua 1671. inita, 2) ſolum expectatiuae ius, vindicandae ſibi poſſeſſioni ſufficere potuiſſet. Sed tranſegit de iure ſuo Sereniſſimus Rex Poloniae cum Domo Brunſuicenſi.

1) LVN. Reichs=Arch. P. Sp. IV. Abth 2. Abſ. n. 70.
2) De quibus conf. Lauenburgiſcher Stamm=Fall P. II. p. 54.

§. X.

*Lineae Albertinae: in Principatum Anhaltinum, et partem Hennebergici.*

Ferdinandus I. Electori Auguſto expectatiuam dedit in omnia feuda, quae principes Anhaltini ab Imperio tenent 1) eademque in inueſtituris expreſſe confirmari ſolet. 2) Feuda vero illa cognoſcuntur ex literis inueſtiturae 1544. ſub Carolo V. confectis. 3) Eſt enim et Brandenburgicae familiae expectatiua in partem principatus, in ea ſcilicet feuda, quae olim ab eccleſia Magdeburgenſi repetere ſolebant Principes, et ſoluto illo vinculo, per pactum 1681. cum Friderico Vilhelmo Electore, tanquam Duce Magdeburgico initum, immeditate ab Imperio tenere inceperunt. 4) Idem Elector Auguſtus a Maximiliano II. expectatiuae iure 1573. impetrauit, vt poſthabitis Io. Friderici II. liberis, non ſolum in Io. Vilhelmi ditiones, verum et illorum loco in quincuncem comitatus Hennebergici ſuccederet, 5) ex quo capite poſtea in partem haereditatis re ipſa venit.

1) LVN. Reichs=Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abſ. p. 319.
2) MVLLER. Ann. ad an. 1693. p. 629.
3) BECMANNI Anhalt. Hiſtor. P. IV. p. 520.
4) ID. l. c. P. III. p. 84. 85.
5) LVN. Reichs=Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 3. Abſ. p. 370.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0011-3

§. XI.

*In Comitatum Hanouiae etc.*

Ferdinandus II. 1625. meritiſſimo de ſe Principi, Iohanni Georgio Electori, expectatiuam dedit in feuda Comitum Honouiae et Schwarzburgicorum, nec non in feuda Friderici Vlrici, Ducis Brunſuicenſis, in quae agnatis ex ſimultanea inueſtitura, et Brandenburgico ex capite expectatiuae ius quaeſitum non eſſet.

1) LV N. Reichs-Archiv P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abſ. p. 411. De iſtis Frid. Vlrici Feudis conf. inueſtitura Ferd. II. 1625. l. c. IV. Abth. 4. Abſ. p. 321.

§. XII.

*Lineae Erneſtinae in Comitatum Iſenburgenſem,*

Rudolphus II. 1596. ducibus Saxoniae lineae Altenburgenſis in Comitatum Iſenburg et Budingen expectatiuam contulit. 1) Equidem an. 1641. comites Iſenburgici et landgrauii Haſſiae tranſegerunt, vt pars praediorum Darmſtadinis cederet, cum ſpe in reliqua ſuccedendi. Sed duces Saxoniae negarunt, ita imminui ius ſuum poſſe, neque hos titulos Darmſtadinis tribuunt. 2) Quin illud potius ab Imperatore 1664. confirmatum fuit. 3)

1) LV N. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abſ. p. 386.
2) Reichs-Staat p. 602.
3) M V L L. Ann. ad h. a. p. 457.

§. XIII.

*Expectatiua domus Brandenburgicae: in Pomeraniam.*

Sic et Sereniſſima Brandenburgica domus quae tam late per Germaniam imperat, nonnullas prouincias hoc iure accepit: aliasque ad huc ſperare poteſt. Expectatiuam quidem in Pomeraniam et ducatum Megapolitanum pactis, neque ſane gratuitis, acquiſiuit. An. 1330. Ludouicus Bauarus inter filium Ludouicum Marchionem Brandenburgicum, et Barnimum III. Sedinenſium ducem ita lites compoſuit, vt deficiente maſcula ducum prole, Marchiones ſuccederent. Qui caſus cum a. 1464. con-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0012-9

contigiſſet, vlterioris Pomeraniae duces agnatorum feuda contra Brandenburgicos armis vindicabant. Compoſitum bellum 1499. ea conditione, vt Pomerani ducatum retinerent, Brandenburgicorum autem expectatiua in vniuerſam prouinciam extenderetur. 1) Exſtat transactio cum Georgio et Barnimo 1529. inita, qua expectatiua in vniuerſam Pomeraniam tribuitur Ioachimo Electori, in cuius firmamentum ſimultanea inueſtitura, homagium, titulique et inſignium vſus ſimul conceduntur. 2) Tam manifeſtum ius non minus ſtrenue aduerſus Suecos in conſultationibus de pace Veſtfalica tuitus eſt Fridericus Vilhelmus, nec vt partem prouinciae dimitteret, niſi accepta compenſatione adigi potuit: in cuius parte expectatiua in ducatum Magdeburgicum fuit.

1) conf. GIOV. Germ. Princ. l. 2. c 2. p. 562.
2) LVN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 3. Abſ. p. 236.

## §. XIV.

*In Ducatum Megapolitanum.*

Cum Ducibus Megapolitanis an. 1442. ea conditione compoſuit lites Elector Fridericus, vt familia Ducum deficiente ad ſuam domum terrae deuoluerentur. 1) Ratum habuit pactum eodem anno Fridericus III. Imperator 2) rogatique conſenſum Electores, cum denuo inueſtiturae renouandae eſſent: vt patet ex literis archiepiſcopi Moguntini 1487. et Electoris Saxoniae 1495. cum Iohannes inueſtiendus eſſet, 3) itemque Philippi Palatini 1500. pro Ioachimo datis. 4) Extenſa fuit deinde expectatiua in principatum Suerinenſem et Ratzeburgenſem. 5) Vtque maior huius iuris per Germaniam notitia eſſet, Rex Pruſſiae ex pacto cum duce Suerinenſi 1708. inito, titulis et inſignibus Megapolitanis vti coepit, contradicente licet in Comitiis 1709. du-

ce Strelicenſi. Vnde ad vniuerſam domum poſtea diffuſi. 6)

1) LVNIG. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 3. Abſ. p. 7.
2) Id. l. c. p. 11. 3) Id. l. c. p. 19. 26. 27. 4) Ib. p. 28.
5) Conf. mutuas declarationes Ducis Megap. et El. Brandenb. in LVNIG. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 3. Abſ. p. 278. ſeq.
6) Staats-Cantzl. T. XIV. c. 1. conf. Information vom Urſprung und Verfolg des Königl. Preuß. und Marggräfl. Brandenb. Eventual-Succeſſions-Rechts, an denen ſämtl. Mecklenburgiſchen Reichs-Lehen.

## §. XV.

*In Feuda ducum Brunſuicenſium et Luneb. nec non Holſatiae.*

Eadem ſpes eſt, in feuda ducum Brunſuicenſium et Luneburgenſium ex beneficio Maximiliani II. 1) itemque Carolo V. auctore in ducatum Holſatiae. 2)

1) conf. expect. Ferd. II. Electorali Saxon. data, in feuda Hanov. ap. LVN. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abſ. n. 90. p. 411. conf. §. XI.
2) LIMN. T. I. add. ad l. V. c. 7. §. 62.

## §. XVI.

*In comitatum Limburgi.*

Denique an. 1693. Leopoldus Aug. vt remuneraretur praeſtitam Imperio aduerſus Gallos opem, adiecit expectatiuam in feuda comitum Limburgi. 1) Quorum vltimus cum an. 1713. obiiſſet, inter Sereniſſimum Regem Pruſſiae et haeredes Limburgicos de ſeperatione feudi ab allodio coorta lis eſt, diſputatumque inter alia, vtrum ius ſuffragii in Comitiis Imperii et circuli, bonis allodialibus inhaerere, et ad foeminas deuolui poſſit? 2)

1) LVN. Reichs-Arch. P. Sp. Cont. II. Suppl. p. 988.
2) Vid. Electa Iuris Publ. T. VI. p. 146.

## §. XVIII.

*Regni Sueciae in Pomeraniam vlteriorem.*

Regno Sueciae Pace Oſnabrugenſi Art. X. §. 4. expectatiua in Pomeraniam vlteriorem et Principatum Caminenſem conceſſa fuit, et ſimultanea inueſtitura confirmata: ita vt quoties ſubditi homagium praeſtarent Brandenburgicis, caſus illius ſimul admonerentur. 1)

1) conf. HENNINGES Meditat. ad l. c. §. 5.

§. XIX.

§. XIX.

Maximilianus 1502. Friderico Duci Megapolitano, Conſiliario ſuo, expectatiuam dedit in ſemiſſem Landgrauiatus Leuchtenbergenſis: ( ſemiſſem enim aerario Imperii reſeruabat,) 1) ſed cum obiiſſet Max. Adamus Leuchtenbergenſis familiae vltimus, Mecklenburgicis non aduertentibus, Albertus Bauariae Dux, qui ſororem eius in matrimonio habebat, ſucceſſit, atque ab Imperatore 1647. inueſtitus fuit, licet Mecklenburgici an. 1572 et et 1621. memoriam iuris ſui in aula Caeſarea refricuiſſent. 2) Cum vero iterum 1705. vacaſſet, in illa Domus Bauaricae calamitate, dux Suerinenſis priſcum ius ſuum vrgebat. Verum reiecta eius petitione in conſilio aulico, D. Ioſephus Principem Lambergium 1705. Landgrauium appellauit.

*Domus Megapolitanae in Landgrauiatum Leuchtenbergenſem.*

1) LVN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. 6. Abſ. p. 500.
2) Staats-Cantzl. XIII. c. 12. p. 465.
3) Ib. l. c. p. 479. conf. El. Iur. Publ. ad an. 1709. p. 352. ſeq.

§. XX.

Exempla illa intuentibus facile patet, non tam certam aliquam et perpetuam expectatiuae formam eſſe, quin in ſingulis fere proprii aliquid ac diuerſi a reliquis inſit. Modo expectatiua ab Imperatoribus vltro ob bene merita data eſt: vt Iuliacenſis Saxonibus, Leuchtenbergenſis Megapolitano duci: Modo ab ipſis Principibus componendarum facilius litium cauſa, per transactionem introducta, et ab Imperatoribus confirmata, vti Brandenburgicorum cum Pomeranis et Megapolitanis, nec non Auſtriacorum cum Würtenbergico pacta docent. Alii deinde in iure tuendo aliis ſolertiores fuerunt. Hi in conceſſione Imperatoris acquieuerunt. Illi de Electorum conſenſu ſolliciti fuerunt, etiam tum

*Obſeruationes quaedam generales ad ea exempla.*

cum nondum lege expreſſa requireretur, vt iterum Brandenburgici documento ſunt. Aut pactis ſuperadditis non vaſallum modo poſſidentem, ſed et ordines prouinciales ad agnitionem iuris ſui adſtringunt, quae cura Saxonum in Cliuiae expectatiua fuit. Interdum et tituli atque inſignium vſum, ipſamque inueſtituram ſimultaneam maioris et notitiae et ſecuritatis cauſa ſtipulati ſunt, omni adeo occaſioni firmandi iuris, omnibusque ſpei ſuae adminiculis intenti. Neque ergo mirum, ſi non eisdem argumentis in omnibus caſibus vti licet.

## §. XXI.

*Quod Imperatoris circa expectatiuam concedendam ius? olim libere feuda aperta conferebat.*

Nobiliſſima in hoc argumento quaeſtio eſt, de iure Imperatoris circa expectatiuam concedendam. Illud vero pendet a facultate eius diſponendi de feudis apertis: neque melius quaeſtio explicabitur, quam ſi diuerſas temporum iuriumque mutationes perluſtremus. Olim ne licuit quidem Imperatoribus feuda vexilli vltra annum ſibi retinere, ſed tenebantur ea de nouo conferre: **Der König ſoll kein Bahn-Lehn in ſeiner Gewalt haben Jahr und Tag, er ſoll es hinleyhen.** 1) Et cum cauſae feudales, inprimis eiusmodi collationes plerumque ſolerent in ſolennibus curiis tractari, ſubſcribere nonnulli ex partibus curiae ſolebant, quorum teſtimonium ad probandam nouam inueſtituram neceſſarium erat II. F. 32. 2) quique ideo ſacramentales et fideiuſſores inueſtiturae appellabantur. 3) Vnde formula: *de conſilio principum*, non tam neceſſitatem requirendi conſenſus procerum Imperii, quam teſtimonium arguit, et tandem mere curialis facta eſt, vtpote quae toties in diplomatibus adhibita reperitur, quibus auita tantum feuda et nulli controuerſiae obnoxia conferun-

tur,

tur, iterumque in nouorum feudorum conceſſionibus, aut expectatiuis omittitur, vt pluribus Cl. MVLLERVS 4) aſſeruit.

1) Schwäbiſch Land-Recht L. 1. c. 32. §. 3.
2) conf. ALTESERRA Origines feud. c. 8.
3) conf. du CANGE gloſſ. voce iuramentum.
4) Reichs-Tags-Theatr. P. 1. c. 23. §. 41. p. 325. ſeq.

## §. XXII.

*Quando haec poteſtas limitata fuerit?*

Sed diſſipato Imperii domanio et cum Imperatores non iam in curia ſed priuatim ſaepe de rebus Imperii ſtatuerent, placuiſſe videtur proceribus, vt non amplius arbitrii regii eſſet bona Imperii in feudum dare. Quando id ſtatutum non dixero. Sed de Wenceslao inter alia id grauiſſime quaeſtos Electores legimus, quod inſignem regni Longobardici partem, fiſco ſubtractam, ſub ducatus Mediolanenſis titulo, Galeacio in feudum dederit. Tum in genere illum accuſant: **Er hat auch viel Stätte und Lande, in Deutſchen und Welſchen Landen dem Reich zugehörende, und der ein Theil verfallen ſind dem H. Reich, übergeben, und der nit geachtet, noch an dem H. Reich behalten.** 1) Ita iam tum conſilium captum fuit inſtaurandi aerarium ex feudis ad Imperium reuolutis. Cuius memor Maximilianus I. ducatum Vürtenbergicum, ubi Duces defecerint, fiſco in literis primae inueſtiturae reſeruauit, 2) itemque alteram partem Landgrauiatus Leuchtenbergenſis, cum expectatiuam Megapolitano daret. 3)

1) Vid. ſentent. depoſ. Venceslai ap. MVLLER. l. c. p. 296.
2) Vid. dipl. ap. LIMN. I. P. L. V. c. 16.
3) conf. §. XIX.

## §. XXIII.

*Conſenſus Electororum ad conceſſ. feudorum*

Electores itaque prohibituri, ne Imperatores extra curiam pro ſuo arbitrio de feudis diſponant, effecerunt tandem, ne citra conſenſum ſuum vlla alienatio valeat.

Nam

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0017-7

*quando et ex quo fundamento requiri coeperit?*

Nam ex antiquo aulae Franciae more archiofficiales intimi Regni Conſiliarii et praecipui rerum gerendarum auctores erant. Vnde in aula Gallica durauit mos, vt IV. primarii officiales ſeculares, diplomatibus, conciliandae fidei cauſa primo loco, et a temporibus Ludouici Groſſi, etiam ſoli ſubſcriberent, 1) et ſi quod forte officium vacaret, id expreſſe annotaretur. 2) Clariora iam huius iuris, ſed haud dubie ex prima antiquitate ſeruati indicia habemus in foedere, quod Electores, memores officii, pro aſſerenda communi ope, et conſilio, fluctuante republica an. 1399. inierunt. 3) Eo inter alia, commoti prodigalitate Venceslai ſanciunt: **Underſtünde auch unſer Herre der Römiſche König oder yemand anders das H. Römiſche Ryche, oder einige ſeine Zugehörunge zu ſineelen, abzubrechen, oder dem Ryche zu entleden, darwieder ſollen wir ſamentlichen ſeyn.** Ea lex in omnibus foederum Electoralium formulis poſtea repetita. Tentatum etiam Maximiliani I. tempore in Comitiis Wormatienſibus anno 1492. vt certus modus huic rei daretur. Nam in delineata a deputatis ordinatione Regimenti 4) commendatur inter alia: **Sy ſollen auch ratſchlagen, die jhenen ſo Fürſtenthumb, Grafſchafft, Herrſchafft, oder andere Güter, zum Reich gehörig, unempfangen inn hetten, oder beſeſſen, zu bewegen, und darzu zu bringen, dieſelben zu empfahen mit gewöhnlichen Pflichten: Doch, ob derſelben Stückeins oder mer, Fürſtenthumb oder mercklich Grafſchafft, dem Reich heimgevallen waren oder würden, ſolt durch uns mit Willen der Chur-Fürſten darinn gehandelt werden, die bey dem Reich fürter zu behalten oder zu verleihen. Aber minder Lehen, ſo uns oder dem Reich heimfallen weren, oder würden,**

würden, dieſelben zu verleihen, wollen wir uns hierinn vor, und ausbehalten haben ꝛc. Atque ita demum frequenter ad nouorum feudorum aut expectatiuae inueſtituram, maioris ſecuritatis cauſa conſenſus Electorum requiri coepit. Interdum ab inueſtito, quod in expectatiua Brandenburgicorum in ducatum Megapolitanum factum legimus. 5) Interdum ab ipſo Imperatore, vti Maximilianus in Lauenburgicae expectatiuae conceſſione pollicitus eſt. 6) Adeo iam ante Carolum V. non facultas modo alienandi prorſus bona imperii, quam ad ea vsque tempora illibatam retinuiſſe Imperatores credidit Strauchius: 7) ſed diſponendi etiam de feudis inter ipſos vaſallos reſtringi ab Electoribus coepit. Neque tamen iam tum abſolutae neceſſitatis conſenſus ille fuiſſe videtur, cum varia exempla non requiſiti proſtent. 8) Si vero in Comitiis Imperii ſolenni pompa in curia Imperiali peracta inueſtitura, quid mirum omnium Imperii ordinum mentionem fieri?

1) conf. MABILLON. de re diplom. l. 2. c. 12. p. 121.
2) Idem l. c. conf. etiam auct. des anciennes enſeignes et eſtendarts de France pag. 23. 24. 3) ap. MVLL. l. c. §. 6.
4) ap. Dn. DATT. de pace publ. l. 3. c. 12. §. 124. p. 618.
5) conf. §. 14. 6) conf. §. 9. 7) de oppignorat. imper. th. 20. ſeq.
8) quae annotauit D. MVLLERVS l. c. p. 325.

## §. XXIV.

*Res ea Caroli V. demum capitulatione accuratius definitur.*

Cum Carolus V. electus eſſet, et iuri ſcripto aſueſcere coepiſſet Germania, Electores iura Imperii nunc quoque in certam formam redacturi, inter alia etiam quid iuris in feuda aperta Imperatori competere debeat, in capitulatione definierunt. Articulo IX. ne quid rerum, ad Imperium pertinentium alienet, niſi conſenſu Electorum, et §. 23. ſub eadem conditione, ne collectas vrbium

aut alios Imperii reditus diſtrahat, ac tum demum naturali ordine, §. 24. ne feuda aperta denuo aliis conferat, paciſcuntur. Wenn auch Lehen dem Reich, und uns, bey Zeiten unſerer Regierung eröffnet, und lediglich heimfallen werden, ſo etwas merckliches ertragen, als Fürſtenthumb, Graffſchafften, Herrſchafften, Stätt und dergleichen, die ſollen und wollen wir ferner niemand verleihen, ſondern zur Unterhaltung des Reichs, unſer und anderer nachkommender König und Kayſer, behalten, einziehen und incorporiren, biß ſo lange daſſelbe Reich wieder zu Weſen und Auffnehmen kommet; vbi ex contextu apparet, non ſimpliciter prohiberi feudorum apertorum nouas conceſſiones, vt multi interpretati ſunt: 1) ſed tantum ne inconſultis Electoribus fiant. Et quoniam ante forte in expectatiuis, aut inueſtituris, non tam ſtricte eadem obſeruata fuiſſent, ne id cui fraudi ſit transquillitatis publicae cauſa conſtitutum. Doch uns von wegen unſerer Erb-Land, und ſonſt männiglich an ſeinen Rechten und Freyheiten unſchädlich.

1) CONRING. ad LAMPAD. P. III. C. V. §. 46. quem plures ſequuntur.

§. XXV.

*Expectatiuae mentio primum in capitulatione Ferdinandi II.*

Quanquam eodem capitulationis Carolinae ſenſu expectatiua quoque contineri videatur. Electores tamen demum in capitulatione Ferdinandi II. mentionem eius diſertis verbis fecerunt art. 28. Auch niemand einige expectanz oder Anwartung darauf geben.

§. XXVI.

*Conſenſus electoralis neceſſitas in expectati-*

Verum de interpretatione legis diu inter Imperatores atque Electores non ſatis conuenit. Illi enim non tam abſolute ſe prohiberi, aut reſtringi ad arbitrium

um electorum crediderunt, quin poſtulante neceſſitate Imperii, aut vbi remuneranda eſſent merita in rempublicam, liberiorem ſibi poteſtatem competere crederent. 1) Sed electores poſtea in comitiis ſuis Ratisbonenſibus 1630. denuo, ne quid prorſus ſe inconſultis de feudo aperto ſtatueretur, inſtiterunt. 2) Vt ergo omni iſtiusmodi dubitationi materiem impoſterum praeſcinderent, et iura ſua accuratius declararent, capitulationi Ferdinandi IV. formulam de conſenſu electorali in expectatiua quoque adhibendo, diſertis verbis inſeruerunt. *uam capitul. Ferdinandi IV. diſertis verbis exprimitur.*

1) conf. erudite haec deducentem Dn. MVLLERVM l. c. §. 42. 43. p. 326. ſeq.

2) conf. acta comitial. ap. LVNDORP. P. IV. et ap. LIMN. in mantiſſ. ad capitul. Ferd. II.

## §. XXVII.

*Reliqui ſtatus ſuum quoque conſenſum requiri poſtulant. Initio fruſtra.*

Hactenus iure ſuo tranquille vſi electores. Sed ſenſim reliqui ordines ſuam quoque autoritatem in his negotiis requirendam voluere, vehementerque inſtiterunt in conſultationibus de pace Veſtfalica, vt temperaretur praeualens electorum potentia, 1) ipſique in partem condendae legis regiae admitterentur. Hanc vero iuris imperatorii partem, vt temperari voluerint, prodidere in monitis ad capitulationem, 2) cuius articulum 30. ita formari voluerunt: **Daß die heimgefallene Reichs-Lehn, ſo etwas merckliches ertragen, ohne Vorwiſſen der Churfürſten und Stände niemand verliehen, oder** expectanz **darauf gegeben werden möge.** Sed electores nihil in Leopoldina et Ioſephina ea de re immutandum rati, proteſtantibus principibus, contraria proteſtatione priſcum ius ſuum tuiti ſunt.

1) conf. hiſt. pacis Veſtphal. l. 3 §. 35.

2) vid. monita in app. capitul. harmonicae p. 197.

§. XXVIII.

*In capitulatione Carolina demum obtinent.*

Interea in comitiis multa de capitulationis perpetuae forma diſputata. De pluribus etiam, et inter alia de modo diſponendi de feudis apertis conuenerat. Quorum cum rationem haberent Electores, in adornanda poſt obitum D. Ioſephi noua capitulatione, Carolus VI. Auguſtus, qui nunc feliciter imperat, articulo XI. primus pollicitus eſt: **Wenn auch ins künfftig Lehn dem Reich durch Todes-Fälle, oder Verwürckung, eröffnet, und lediglich heimfallen werden, ſo etwas merckliches ertragen, als Churfürſtenthümer, Fürſtenthümer, Grafſchaft-Herrſchafften, Städte und dergleichen, die ſollen und wollen wir, die Churfürſtenthümer ohne des Churfürſtlichen** Collegii, **die Fürſtenthümer, Graff-und Herrſchafften, Städt und dergleichen aber, ohne der Churfürſtlichen, Fürſtlichen, auch (wenn es nehmlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Städtiſchen** collegiorum **Vorwiſſen und** conſens, **ferner niemand leihen auch niemand einige** expectanz **oder Anwartung darauf geben, ſondern zu Unterhaltung des Reichs, Unſer, und Unſerer nachkommenden König, und Käyſer behalten, einziehen und** incorporiren, **doch Uns von wegen Unſerer Erblande, und ſonſten männiglich an ſeinen Rechten, und Freyheiten, auch denen von Unſeren Vorfahren am Reich, denen Ständen** propter bene merita **ertheilen, und denen Reichs-**conſtitutionibus **gemäßen Anwartungen, und künfftige ſich erledigende Reichs-Lehn, an ihrer Krafft, und Bündlichkeit unſchädlich.**

§. XXIX.

*Dicta contrahuntur.*

Per hos gradus itum eſt ad praeſentem rei conditionem. Primum Imperatores in ſolenni curia praeuia

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0022-4

uia cum paribus deliberatione de feudis apertis iterum concedendis ſtatuere. Tum Electorum conſenſus in ſpecie requiri coepit, idque iis ius, capitulatione Caroli V. firmatum, atque ab eo tempore integrum manſit, neque cum reliquis ordinibus, quanquam id a tempore pacis Veſtfalicae poſtulantibus, niſi in vltima demum capitulatione communicatum fuit.

§. XXX.

*Applicantur ad quaeſtionem de validitate expectatiuarum diuerſo tempore datarum.*

Hodierno itaque iure ad concedendam expectatiuam non ſufficit amplius ſolius Collegii Electoralis conſenſus: niſi electoratum reſpiciat. Verum antea datae eo iure cenſentur, quod tum temporis in vſu fuit, titulumque legitimum caſu exiſtente tribuunt. Neque nunc denuo reliquorum Imperii ordinum ſuffragia conquirenda ſunt.

§. XXXI.

*Sufficit ſi conſenſus electorum poſtea accedat.*

Quod ſi autem ante mota certamina Imperator ſolus expectatiuam dedit, ſub conditione tamen obtinendi conſenſus Electoralis, non ſtatim ideo pro vitioſa haberi debet, vt viſum Ill. Auctori meditationum ad Capit. Ioſephinam. Sed quamprimum conditio impletur, vigorem plenum ſuum atque effectum conſequitur, ac ſi ſtatim ab initio conſenſiſſent. Haec enim eſt omnis promiſſi conditionati vis, vt in ſuſpenſo ſit, conditione nondum impleta: aſt vbi illa exſtiterit, plenum ius tribuat. Sed fuſius has quaeſtiones eruditior manus breui forte diſcutiet.

§. XXXII.

*An conſenſus vaſalli poſſidentis requiratur?*

Iam vtrum vaſalli quoque poſſidentis conſenſus requiratur, videamus. Antiqui diſſenſerunt auctores. Negat Ius F. Sax. c. X. §. I. *Quidam dicunt, quod non licet quenquam infeudare de futuro absque petitione poſſeſſo-*

*ris: quod non eſt.* Eandem ſententiam Mediolanenſes et Cremonenſes ICti tenuerunt, I. F. 27. Contra ius Alemannicum omnino requirit: itemque ex Italis Placentini d. I. F. 27. quos Eguin. Baro, Guil. Fornerius, aliique ſequuntur: 1) qui tale pactum contra bonos mores eſſe ſtatuunt, niſi poſſidens vaſallus conſentiat. Inducti auctoritate Iuris Romani, quo inualida ſunt pacta de ſucceſſione viuentis, niſi accedat conſenſus eius, *l. f. C. de pactis.* Verum et hanc Iuris Romani diſpoſitionem nunquam penitus in Germania receptam fuiſſe probat Schilterus: 2) neque eius rationes in rem feudalem quadrant. Itaque diſceſſum a rigore iuris Alemannici, qui antiquis temporibus, bellorum ac diffidationum plenis, vtilis eſſe poterat, ne talis expectatiua ad mortem poſſeſſoris vel vi, vel inſidiis captandam incenderet. Quanquam autem iure contradicere Imperatori expectatiuam conceſſuro vaſallus poſſidens regulariter nequeat, vtpote qui vltra familiae ſuae durationem de feudis ad dominum tum reuoluendis diſponere non poteſt, prudentiae tamen, omni alia ratione id conſilium auertere, quo libera ipſi pactis, occaſione ferente, ſibi proſpiciendi poteſtas maneat.

1) loca vid. ap. SCHILT. comm. ad J. F. Alem. c. 19. §. 6.
2) Exercit. ad Pand. VIII. §. 35. ſeq.

## §. XXXIII.

*Reſtringuntur hactenus diſputata ad feuda maioris momenti.*

Sed quae diſputata hactenus ſunt, ea omnia tantum ad feuda maioris momenti pertinent. Ad id diſcrimen iam Maximiliani I. tempore reſpectum fuiſſe, docent quae §. XXIII. annotaui, idemque ſibi volunt capitulationis verba: **Wenn auch Lehn : : : ſo etwas merckliches ertragen.** Feuda enim immediata minoris dignitatis, aut emolumenti, a ſolo Imperatore pro arbitrio

bitrio conferri, et ſic quoque per expectatiuam deſtinari bene meritis poſſunt. Multa autem ſunt eius generis praedia, reditusue aut iura, quorum indicem copioſiſſimum nobis dedit Ill. Luduigius in Comment. ad A. Bullam.

§. XXXIV.

Locum non habet expectatiua, niſi in feuda quae familia poſſidentium extincta ad imperium deuoluuntur. Itaque fruſtra petitur in territoria, de quibus vltimus poſſeſſor pro arbitrio diſponere poteſt, niſi in caſum, ſi ille citra talem diſpoſitionem obierit. Id priuilegium Auſtriae Duces a primo inſtitutore Friderico Imperatore 1166. acceperunt. *Dux Auſtriae donandi et deputandi terras ſuas, cuicunque voluerit, habere debet poteſtatem liberam, ſi (quod abſit) ſine heredibus liberis decederet: nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri.* Confirmauit ea iura Fridericus II. Veronae 1245. et in domo Habſpurgica renouauit Carolus V. 1) *Locum non habet expectatiua 1) vbi vaſallus de feudo pro lubitu diſponere poteſt.*

1) Vid. LIMNAEVS J. P. L. V. c. 2. n. 30. 31. 32.

§. XXXV.

Eadem eſt ratio, vbi familiae illuſtres, futuri prouidae, mutuam ſibi ſucceſſionem pacto confraternitatis ſtipulatae ſunt, idque ab Imperatore atque collegio electorali, et ex nouiſſimae capitulationis ſenſu reliquis etiam, ſi feudorum qualitas poſtulauerit, Imperii ordinibus confirmatum eſt. Tum enim non in allodia modo, ſed et feuda ſucceditur. Neque ea ad imperium recidunt, niſi extinctis omnibus foederatis. Illuſtriſſimum exemplum praebet pactum, quod inter Sereniſſimas gentes, Saxonicam, Brandenburgicam et Haſſiacam intercedit. Primi id ſancierunt 1373. Fridericus, Balthaſar et Vilhelmus, Landgrauii Thuringiae, cum *2) Vbi pacta confraternitatis adſunt.*

prin-

principibus Haſſiacis atque alteri de alterorum terris ab Imperatore Carolo IV. inueſtiti fuerunt. 1) Saepius id poſtea renouatum. 2) Et cum domus etiam Brandenburgica in foederis partem aliquoties veniſſet 3) anno tandem 1614. Naumburgi veluti de nouo conditae triplicis foederis tabulae. 4) Quae poſtea in ipſis capitulationibus Imperatorum approbatae ſunt. 5)

1) LVNIG Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 2. Abſ. p. 3.
2) conf. CARPZOVII diſp. de pacto confraternitatis Saxonico-Haſſiacae, et SCHILT. Inſt. Jur. Publ. T. I. l. III. tit. I. §. 9.
3) Conf. tabulas foederis Naumburg. ann. 1555. renouati, ap. LVNIG. l. c. p. 84. 4) ap. LVN. l. c. 5) Conf. capit. Carol. art. I.

## §. XXXVI.

*3) Vbi alius expectatiuam iam habet.*

Neque tanquam apertum conſideratur feudum, in quod legitime quaeſitam expectatiuam aliquis habet. Quodſi vero Dominus nouam expectatiuam alteri dederit, vtrum prior an poſterior praeferendus ſit, quaeritur? Naturali aequitate ob ſanctimoniam promiſſorum prioris ius potius videtur. Sed feudali conſuetudine paulo aliter obtinuit, in eo ſcilicet caſu, vbi alter generalem expectatiuam accepit, alter ad certum aliquod feudum determinatum. Tum enim vbi id vacauerit, poſterior praefertur. Dominus tamen priori tenetur ad intereſſe, I. F. Al. c. 12. Sax. c. 7. et caſum ita deciſum habet Carpzouius. 1) Qua in re veteres iurium feudalium arbitri cum iure Romano conueniunt, *in quo generi per ſpeciem derogatur, et illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt, l. 80. d. R. I.* Idem in beneficio eccleſiaſtico probat Bonifacius VIII. c. 14. de praeb. 6. 2) Id autem prima tantum vice obtinet. Vbi enim ſemel ſpes ſua expectantem fruſtrata eſt, iam non prodeſt amplius domino expectatiuam ſpecialem alteri conceſſiſſe, ſed quodcunque feudum vacauerit, ipſo iure prioris

eſt.

eſt. 3) Verum hodie non facile caſus extiterit, in Imperii feudo maiori, cum tanta in luce Ordinum iura verſentur.

1) l. 2. 45. def. 4. 2) conf. SCHILT. ad J. F. Al. c. XII.
3) Vid. J. F. Al. l. c.

## §. XXXVII.

Neque amplius aperitur Imperio feudum per feloniam vaſalli, ſed ad agnatos, ſi innocui fuerint, deuoluitur. Ita priorum temporum ſeueritatem correxit Capitulatio Aug. Caroli VI. Art. XX. Geſtalten auch im H. Römiſchen Reich bey verwürckten Gütern des Aechters deſſelben Verbrechen denen Agnaten, und allen andern, ſo Anwartung und Recht daran haben, und ſich des Verbrechens in der That nicht theilhafftig gemacht, an ihrem Jure ſuccedendi in feudum und Stamm-Gütern nicht praeiudiciren ſoll ꝛc. 1)

*4) cum agnati innocentes adſunt: et delicto vaſalli feudum aperitur.*

1) Conf. quae annotauit, ac in appendice actorum exhibuit Ill. edit. der gegenwärtigen Verfaſſung der Kayſerlichen Regierung in Deutſchland.

## §. XXXVIII.

Quod ſi inter Imperii ſtatus inualido legum praeſidio, bellum cooriatur et alter alterius prouincias armis occupauerit, non ſtatim illae Imperio apertae cenſentur. Sed vbi ad pacis conſilia ventum eſt, ſuas quaelibet pars rationes curat. 1) Aliter vero ſe res habet, ſi vaſallus hoſtis Imperii declaratus fuerit, ac publicis auſpiciis regiones ipſius ſubigantur, nec immunes criminis agnati adſint. Cum Carolum XI. Suecorum Regem, bello Gallico ſe immiſcentem, Bremenſi ac Pomeraniae ducatu foederati expuliſſent: erant in aula Caeſarea, qui vtrumque feudum commiſſum eſſe, et ad Caeſarem deuolui exiſtimarent. 2) Nec ipſi Brandenbur-

*5) Vbi ſtatus aliquis iure belli alterius prouincias occupauit.*

gici tam alieni ab ea ſententia fuerunt, 3) vt quidem prima fronte ex alio Pufendorffii loco apparet. 4) Sed interueniens pax Neomagenſis vlteriorem huius rei diſceptationem praeſcidit.

1) Conf. HENNINGES ad capit. Ioſeph. art. 29. not. 1.
2) PVFEND. Rer. Frid. Vilh. l. XIX. §. 14.
3) Id. l. XV. §. 8. 4) l. citato ad not. 2.

## §. XXXIX.

*An expectatiua ad certum aperturae caſum reſtricta valeat, etiam vbi ex alia cauſa feudum vacauerit?*

Quodſi expectatiua ſub aperturae conditione ſimpliciter data fuerit, nihil quidem refert, vtrum extincta familia, an alia quacunque ratione feudum recidat. Dubitari autem poteſt, vtrum valeat, ſi ſub ſpeciali conditione data fuerit, ac feudum alia ratione vacet: Vti cum dominus ad caſum mortis reſpexit, et vaſallus feudo ob feloniam priuatur. Videtur tum expectatiuam habentis ius integrum manere, ſed poſſeſſio non niſi conditione exiſtente ſequi. Dominus interea vacuo feudo fruetur, quamdiu prior poſſeſſor ſuperſtes eſt.

## §. XL.

*Effectus expectatiuae: 1.) obligat etiam ſucceſſorem domini.*

Neque Imperatorem modo, qui dedit, expectatiua ad feudum apertum concedendum obligat, ſed etiam ſucceſſorem. Non opus eſt immorari hic expendendis auctorum opinionibus, qui allegati ab ITTERO 1) pro negatiua ſunt. Nam etiam principes electitii, vt anteceſſorum acta legitima rata habeant a ciuitate obligantur. 2) Poterat hoc dubium in Germania moueri, cum libera adhuc regum in feuda et domania poteſtas eſſet. Tum poterant ſequi conſilium Tiberii, qui ſuperiorum beneficia non aliter rata habuit, quam ſi et ipſe dediſſet. Aſt poſtquam reipublicae nomine electorum, et nunc etiam pro re nata, caeterorum ordinum

dinum conſenſus adhibendus eſt, et in capitulationibus iura omnia rite quaeſita confirmantur, nulla alia neceſſitas ad petendam expectatiuae renouationem ordines adigit, quam vt illorum notitia firmius conſeruetur.

1) De Feud. Imp. c. X. §. 3.
2) De quo conſ. GROTIVS de I. B. et P. l. II. c. XIV. §. 10. ſeq.

## §. XLI.

*II. Tribuit ius occupandi poſſeſſionem feudi vacantis. An et titulos et inſignia?*

Ea porro eſt expectatiuae vis, vt iam non liceat domino aliter de feudo aut parte eius diſponere. Inde cum Ferdinandus II. proſcriptis ducibus Megapolitanis ducatum Friedlando dediſſet, grauiter proteſtati ſunt Brandenburgici; et cum Suecis deinde quaedam eius ditiones conceſſae eſſent, pro quibus pace Veſtfalica ſatisfactum ducibus, expectatiua Brandenburgicorum ad eas quoque partes extenſa eſt. Vbi vero feudum vacauerit, ſtatim expectans poſſeſſionem occupare poteſt ſi inueſtitus fuerit. Idque inſuper diſertis verbis concedi interdum in literis expectatiuae ſolet, prouti in expectatiua domus Saxonicae ad principatum Anhaltinum legimus. Quodſi inueſtitura nulla acceſſerit, iure communi quidem occupare ſtatim feudum non licet. Verum cum ſtatus Imperii non ſemper legibus et interdictis tuto fidant, vbi aemuli paratos habent exercitus, conſultum eſt vna, et petere feudum ab Imperatore, et de poſſeſſione ſibi, eiusque defenſione proſpicere. Eo conſilio, defuncto vltimo duce Lauenburgenſi, vſus fuit Elector Saxoniae. 1) Et iam in anteceſſum ſaepe titulis atque inſignibus vtuntur expectatiuam habentes. Sed ex pacto hoc plerumque fieri ſolet. Ita Rex Pruſſiae 1708. inito cum duce Suerinenſi pacto, titulos et inſignia Megapolitana adhibuit, etſi proteſtante 1709. duce Strelicenſi.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0029-7

l) Vid. Beſchreibung der Chur-Sächſ. Poſſeſſ-Ergreiffung im Hertzegthum Sachſen-Lauenburg in Lev. von Ambeers Lauenb. Stamm-Fall p. 75.

## §. XLII.

*III.) An conſenſus expectantis requiratur, ſi vaſallus poſſidens onerare hypotheca feudum velit?*

Equidem ſi vaſallus feudum imminuere, aut hypotheca onerare velit, eorum qui ius ſuccedendi ſiue agnatione ſiue ſimultanea inueſtitura habent, aut dominus ad quem feudum deuoluitur, conſentire debet. Sed nudam expectatiuam habentis conſenſus non requitur, cum nondum ius in re habeat. Dominus tamen in detrimentum eius non facile debet conſentire, aut vbi conſenſerit ex graui cauſa, alio modo ipſi ſatisfacere, inprimis ſi titulo oneroſo quaeſita eſt expectatiua. Aliter ſe res habet, vbi inueſtitura ſimultanea expectatiuae acceſſit: aut ipſe vaſallus poſſidens de ea cum expectante pepigit: qualia exempla plura notauimus. Atque ex iis principiis ſpeciales caſus, qui exiſtere in Germania poſſunt, decidendi ſunt.

## §. XLIII.

*Quousque extendi interpretatio expectatiuae caſu exiſtente poſſit?*

Expectatiuam habenti cedit conditione exiſtente quicquid feudi ab Imperio pendet: et quicquid ex allodio in confortationem eius impenſum eſt: vna cum omni melioratione et ſurrogatione. Et cum ſaepe terrae in patrimonio ſint, aut ab aliis in feudum teneantur, regalia vero in feudum ab imperio accipiantur, illa quidem ad haeredes aut Dominos ſuos directos, hae vero cum ſuperioritate territoriali ad expectantem recident. Caeterum difficilis eſſe ſolet feudi ab allodio ſeparatio, et peculiaria fere pacta requirit.

) o (

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0030-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0031-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0032-0

Leipzig, Diss., 1719
f
ULB Halle 3
004 315 448
56.
vd 18
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0033-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0034-1

F. 14. num. 21. 16
1719, 10 b
10

# DE EXPECTATIVIS IN FEVDA IMPERII,

CONSENSV
ILL. IVRECONSVLTORVM
ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
*D. XIX. MAII A. MDCCXIX.*
H. L. Q. C.
DISPVTABVNT
*PRAESES*
D. IO. IACOBVS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.
ET
*RESPONDENS*
IO. IVLIVS ANCKELMANN,
HAMBVRG.

---

*LIPSIAE,*
TYPIS IMMANVELIS TITII.

KŒN. FRIED. UNIVERS. ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-661222-p0035-7